PRÆFATIO.

ETSI medicamentorum ea est copia, vt natura luxum quendam ad humani generis salutem ostentare videatur, est tamen in hac vbertate non modo delectus difficilis, sed propemodum confusio propter scribentium ambitionem, quæ dum noui s rebus in dies fingendis occupatur; Veterum experimentis comprobata propemodum cõtundit. Mihi verò ea præcipua cura semper fuit noua cum veteribus iungere, ac nihil temere damnare, quod vtile est ad vitæ custodiam à Medentibus comprobetur. Quare ne quenquam latere possent ista naturæ opes, quas ad commodum nostrum instruxi, vniuersam medicamentorum materiam, veluti in tabulam

conieci, ea ratione, vt neque in multitudine delectus sit tibi difficilis, nec laboriosa distinctio.

Ac ne census tot simplicium, & compositorum medicamentorum suo ordine careat, inde principium sumere oportet, quòd medicamentum ad rerum præter naturam depulsionem est ordinatum; Res præter naturam sunt morbus, morbi causa, Symptomata, etenim licet Symptomata auferantur ad morbi ablationem, aliqua tamen induunt naturam causæ, propriaque exigunt remedia, nimirum vigiliæ, deliquium animi, dolor, immoderatum quodcumque profluuium. Morbis similaribus opponuntur alterantia, quorum alia sunt indeterminata: alia determinata ad quasdam partes, in quas vim suam magis exerunt, quia inter habentia symbolum facilior est transmutatio. Hæc appellationem sumunt à parte, quam præcipuè alterant, vnde cephalica, cardiaca, stomachica, hepatica, splenica, Nephritica, hysterica, arthritica, ophtalmica. Porrò alterationes quibusdam gradibus sunt distinctæ, qu-

te-

totam latitudinem alterantium metiuntur. Hos gradus Medici statuunt quatuor numerantes recessum à minimo ponderis, quod à Philosophis quatuor pariter gradibus definitur, ita vt quod tale est in primo gradu, puta calidum, habeat vnum gradum caloris recedentem à mediocritate, qui Philosophis est quintus gradus.

Quilibet gradus (neque enim in indiuisibili est positus) tribus mansionibus circumscribitur, prima, secunda, tertia, sumitque denominationem non amplius à minimo ponderis, sed à medio ad iustitiam, quod quidem non toti speciei, sed vniuscuiusque indiuidui naturæ debetur, ita vt illud calidum dicatur in primo, quod Petrum v. g. obscurè calefacit, adeò vt præter sensum opus sit ratiocinio. Calidum in secundo, quod manifestè idem præstat. Calidum in tertio, quod cum quadam molestia agit in sensorium. Calidum in quarto, quod inflammat, destruitque sensorium. Quare accidere potest, vt idem respectu Petri dicatur calidum in primo, respectu Pauli temperatam, si Pauli calo-

rem intensiorem naturalem calore Petri non immutet. Vnde mirandum non est, si idem medicamentum apud varios Scriptores in diuersis gradibus tale constituatur, quod vniuersaliter loquendo, metiri oportet respectu medij ad iustitiam indiuidui temperatissimi, quod in humana specie conspicitur. Et quia nonnulli morbum in substantia ad similarem referunt, redigam in hunc ordinem medicamenta, quæ alterant à toto temperamento (vnus est enim morbus in substantia) venena scilicet, & alexipharmca.